



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disxpvt. CCXXVI. Vtrum Angeli creati fuerint in beatitudine solum naturali,
an etiam in supernaturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Ad primum ergo dicendum, quod beatitudo ibi accipitur pro illa perfectione naturali quam angelus habuit in statu innocentie.

Ad secundum dicendum, quod creatura corporalis statim in principio sue creationis habere non potuit perfectionem ad quam per suam operationem perducitur. Vnde secundum Augustinum germinatio plantarum ex terra non statim fuit in primis operibus, in quibus virtus sola germinativa plantarum data est terræ. Et similiter creatura angelica in principio sue creationis habuit perfectionem suæ naturæ, non autem perfectionem ad quam per suam operationem perducere debebat.

Ad tertium dicendum, quod angelus duplicem habet verbi cognitionem. Vnam naturalem, & aliam gloriæ. Naturalem quidem qua cognoscit verbum per eius similitudinem in sua natura reluentem. Cognitionem vero gloriæ, qua cognoscit verbum per suam essentiam. Et utraque cognoscit angelus res in verbo. Sed naturalis quidem cognitione imperfecte, cognitione vero gloriæ perfecte. Prima ergo cognitio rerum in Verbo affuit angelo à principio sue creationis: secunda vero non, sed quando facti sunt beati per conversionem ad bonum. Et hæc proprie dicitur cognitio matutina.

PRIOR conclusio est, *Angeli creati sunt in beatitudine naturali, hoc est, quam naturaliter habere potuerunt.* Posterior conclusio: *Angeli non sunt creati in beatitudine supernaturali.* Doctrinam harum conclusionum, & totius articuli sequenti disputatione examinabimus.

DISPUT. CCXXVI.

Vtrum angeli creati fuerint in beatitudine solum naturali, an etiam in supernaturali.

Quinam senserint Angelos in beatitudine naturali fuisse creatos, cap. 1.

Contemplatio via in Angelis non habet veram rationem beatitudinis, tamen si beatitudini assimilatur, c. 2.

Malos Angelos non fuisse in beatitudine patrie creatos, cap. 3.

Bonos Angelos non fuisse concessam beatitudinem patrie à principio sui esse, cap. 4.

CAPVT I.

Quinam senserint, Angelos in beatitudine naturali fuisse creatos.

NON pauci Scholastici cum S. Thom. fatentur, Angelos creatos esse in beatitudine quadam naturali. Ita docuerunt cum S. Thom. Durand. in 2. dist. 4. quæst. 1. & Thomistæ recentiores in hoc art.

S. Thomas.
Durand.

ARTIC. I.

eandem etiam sententiam secutus videtur S. Thomas in 2. d. 3. q. 9. §. Ad quæstionem, verum. Quod autem, ubi docet, in Angelo fuisse cognitionem Dei eundem, quam vocant quidditativam & propriam, inferiorem tamen intuitivam, de qua pauca diximus dist. 13. q. 4. 1. & 2. & hæc fuisse naturalem beatitudinem Angelis: idem docuit in 2. d. 4. q. 1. in primo argumento, in principio quæstionis: eandemque beatitudinem naturalem Angelis S. Th. Durandus, & alij Scholastici in contemplatione naturali Dei posuerunt cum Aristot. 1. Ethic. c. 7. & 8. ubi beatitudinem, quam ipse habuit in hominibus, in contemplatione Dei esse docuit. Sed quia aliquibus Thomistis difficile videtur est Angelis tribuere naturalem aliquam beatitudinem sine rectitudine voluntatis: & hæc esse non potest in via ex sola contemplatione summi boni, qualis in hac vita haberi potest: ideo nonnulli doctores ex Schola S. Thomæ dixerunt, ad beatitudinem naturalem Angeli non solum pertinere contemplationem summi boni, sed etiam naturalem rectitudinem voluntatis quam dicunt esse dilectionem & amorem amicitie naturalem erga Deum, quem, naturali acumine intellectus contemplantur: assignant vero discrimen inter beatitudinem naturalem, quæ conceditur in via, & supernaturalem, quæ tantum contingit in patria, quod beatitudo patrie consistit in sola operatione intellectus clare videntis Deum, eo quod illa clara visio ex se sufficit generare rectitudinem voluntatis, quæ ad beatitudinem adeo videtur necessariam, ut neque beatus esse, neque intelligi possit cum peccato: at vero beatitudo via non potest tota esse in operatione intellectus sola contemplantis Deum quacunque altissima contemplatione, quia nulla via contemplatio sufficiens est ex se generare rectitudinem voluntatis, sine qua, ut diximus, beatitudo consistere nequit: contemplationi igitur Dei, quæ habetur in via, addenda est rectitudo naturalis voluntatis cum Deo, ut ex utraque fiat integer status beatitudinis naturalis.

Præterea cum de ratione veræ beatitudinis in perpetuitas, ut 1. 2. q. 5. a. 4. ostendimus, dicunt naturalem illam Angelis beatitudinem perpetuam esse, & amitti non posse, ut hac ratione defendunt, veram rationem beatitudinis illi convenire. Pro cuius perspicuitate notant, hanc naturalem beatitudinem dupliciter posse considerari, primum secundum seipsam tanquam ultimam perfectionem naturalis creature non coniunctam nec constitutam sub beatitudine supernaturali: & hoc modo dicunt esse naturam suam perpetuam in Angelis, quia semper manet in eis contemplatio illa summi boni, imo etiam amor amicitie naturalis erga ipsum, ut indicat S. Th. sup. q. 6. art. 5. ad 5. Deinde considerari potest hæc naturalis beatitudo, ut est coniuncta supernaturali, & sub ea quæ constituta: non quia actui illi coniuncta sit, sed quia: ut dici solet, ei subordinetur: & hoc modo dicunt, amitti posse: amissa enim beatitudine supernaturali, amittitur etiam illa quasi subordinatio, qua naturalis beatitudo ad supernaturalem ordinabatur, & manet naturalis prioris illi modo, hoc est, secundum se.

CAPIT.

CAPVT II.

Contemplatio via in Angelis non habet veram rationem beatitudinis, tamen si beatitudinis, assimilatur.

SI veram & propriam rationem beatitudinis attente consideremus, facile constabit, nullam esse operationem naturalem in via, quæ rationalem creaturam verè & propriè beatè possit; sed vestigium quoddam, & imaginem quandam beatitudinis, quàm in latiori quadam oratione beatitudinem vocare possumus: hoc enim arbitror discrimen versari inter creaturam rationalem & irrationalem, quod irrationalis; si beata esse possit, aut veram felicitatem habere, solo dono suæ creationis eam posse adipisci: aut quia hoc ipso, quod crearetur, perfecta & felix crearetur; aut quia, si eius perfectio operatione adquirenda esset, solo influxu & concursu Dei debito ex dono suæ creationis, ne virtute naturali ipsius vis aliqua inferretur, eam consequi posset, nisi extrinseco aliquo contrario impediretur: quocirca, si creatura irrationalis capax esset gratiæ, & beneficij à Deo collati, aut doni; solum esset capax doni, aut gratiæ creationis, eo quod creatura irrationalis suapte natura ad vnam partem, & ad vnum modum operationis determinata sit; ac proinde ex dono suæ creationis postulare influxum Deo, quo indigeret ad suam perfectionem consequendam, & solum nouo dono indigeret, & noua gratia ad remouenda cōtraria, quibus à sua beatitudine consequenda impediretur: at vero creatura rationalis cum ex dono creationis non sit ad vnum modum operandi determinata, sed in varia moueri possit per varias cogitationes, ad quas natura sua determinata non est, indiget noua Dei gratia, & protectione præter donum creationis, vt latius 1.2. quæst. 109. art. 2. ostendimus: ideoque ex se indifferens est, vt & in summam miseriam peccati: & in felicitatem, & beatitudinem suam perueniat. Cum igitur, saluo dono & gratia creationis, ipsa collata, labi possit in peccatum mortale, quod summa miseria creaturæ rationalis est, & cum summa miseria beatitudo aut felicitas vera constare non possit: efficitur nullam esse veram felicitatem, & beatitudinem Angelo naturalem, quæ ex solo dono creationis ipsi conueniat, & quam ipse amittere non possit. Quare licet natura sua habere possit notitiam & considerationem Dei, & quamuis concedamus, illam necessario Angelo conuenire, vt ab ea cessare nequeat, vt aliquibus placet, nihilominus quia hæc cum summa miseria peccati esse potest, vt probauimus, vera beatitudo dici non debet. Porro autem, vtrum Angelus possit sine noua gratia, præter donum creationis, diligere Deum amore amicitie naturali, & an ad hoc noua gratia semper moueatur, ex his quæ dicemus 1.2. quæst. 109. art. 3. aperte constabit. Cæterum quamuis sine noua gratia posset diligere Deum eo modo; si tamen cum ea dilectione posset esse peccatum nulla ratione dicere deberemus per eam compleri beatitudinem Angeli naturalem; quia, vt dixi, summa miseria, qualis est peccati, cum vera felicitate pugnat.

At obijciat quis in hunc modum; etiam si Dei contemplatio, qualem Angelus in via naturaliter habere potest, & dilectio naturalis, qua potest

Vazquez in 1. partem Tom. II.

Deum diligere vt amicum, non expellat suapte natura omnem miseriam & malum, nihilominus vera beatitudo nuncupari potest, quia posse pellere omnem miseriam, olum videtur de ratione perfectissimæ beatitudinis, qualis est alterius vite, non tamen de ratione beatitudinis simpliciter, qualis etiam in hac vita haberi potest: nam, & *August. gust. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 11.* docet, non esse ita strictè usurpandum nomen beatitudinis, vt tantum perfectissimam felicitatem alterius vite significet, quæ maior esse non possit. Respondeo, posse quidem duci beatitudinem creaturæ rationalis felicitatem aliquam huius vite, etiam si summa non sit: sic enim & August. beatos appellat & primum parentem in sui creatione, & multos alios homines in hac vita: eos tamen solum beatos iure optimo vocat cap. 12. qui rectè viuunt secundum rationem: nam cum in hac vita beatitudo illa perfecta, ad quam tendimus, haberi non possit: & eatenus in hac vita beati vocari debeamus, quatenus ad illam perfectam tendimus: atque rectè vite, & bonis moribus solum conueniat ratio meriti & vite, quæ itur ad illam supremam felicitatem: iure optimo August. solum beatum in hac vita appellauit eum, qui secundum rectam rationem & virtutem viuunt; quæ etiam ratione 1.2. quæst. 3. artic. 4. probabimus, beatitudinem huius vite in hominibus, si aliqua in hac vita nomen beatitudinis meretur, in caritate & bonis operibus, in quibus meritum consistit, potius positum esse, quàm in contemplatione solius intellectus.

Quod vero Thomistæ superiori capite allegati dicebant, Angelorum beatitudinem naturalem esse in cognitione veri Dei, coniuncta dilectione naturali, quia diligunt Deum amore amicitie, mihi nulla ratione probatur. Primum quia etiam si distingueremus duplicem amorem amicitie erga Deum, de quo infra 1.2. quæst. 109. art. 3. differemus; tamen concedere non debemus, vllum posse haberi Angelo sine noua gratia Dei præter donum creationis, vt ibidem etiam probabimus. Deinde amorem Dei naturalem rectum esse, & nunquam amitti posse, vt illi Thomistæ arbitrantur, omnino falsum est, & contra Sanctum Thomam: quamuis enim amor ille rectus esset, & bonus; tamen dici non deberet manere in dæmonibus, cum illi odio prosequantur Deum, & vt ait *S. Thom. quæst. 64. artic. 2. S. Thom. ad 5.* in omni sua operatione semper peccent. Porro in Angelis viatoribus non fuisse notitiam quidditativam & propriam Dei, in qua esset eorum beatitudo, monstrauimus supra disput. 206. cap. 2.

Cæterum quamuis nullus actus cognitionis Dei in via dicendus sit beatitudo vite, quasi in eo, vt in præcipua operatione, beatitudo nostra posita sit; tamen actus intellectus assimilatur beatitudini patriæ magis, quàm actus voluntatis, qui est in via; sed actus voluntatis in via magis conuenit ratio beatitudinis vite, quia propius accedit ad veram beatitudinem alterius vite: & in hunc sensum interpretari possumus opinionem eorū, qui docent beatitudinem vite in actu intellectus consistere. Verum quia omne nostrum meritum, in quo est beatitudo huius vite, initium sumit ex cognitione, ipsa quoque cognitio nomen beatitudinis meretur: sicut etiam dicitur ipsa fides

Ggg

gratia

Ioan. 17.

gratia iustificationis, vt notauimus supra disput. 88. cap. 1. Quia ab ipsa iusticia sumit initium. Hac de causa dicitur Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, &c.* Quod de cognitione per fidem intelligendum est. ostendimus 1. 2. q. 3. art. 3.

CAPVT III.

Malos Angelos non fuisse in beatitudine patrie creatos.

8.

Indubitatum apud Scholasticos est, malos Angelos non solum non fuisse in beatitudine patrie creatos, sed etiam nec per modum transeuntis Deum vidisse. Data opera diffinxi inter beatitudinem & visionem Dei, cum dixi, angelos nec fuisse beatos, nec Deum vidisse; quia non quicumque visio clara Dei est beatitudo patrie, sed ea tantum, quæ est perpetua: nam de ratione beatitudinis esse perpetuitatem, probandum est 1. 2. q. 5. art. 4. præterea cum loquimur in hoc capite, & sequenti de beatitudine, sermo est de beatitudine patrie, quam dicunt Theologi esse in clara Dei visione, aut in fruitione Dei clare visi. Nam si de beatitudine via loquamur: idem est, Angelos malos fuisse, aut non fuisse beatos, atque fuisse, aut non fuisse iustos, de quo disserendum nobis est disp. seq.

Rationibus firmatur hæc veritas.

His suppositis, primum probandum est, Angelos malos non fuisse creatos in vera beatitudine. Hoc autem primum colligitur ex eo, quod in infra dicemus, Angeli mali nunquam Deum clare viderunt: ergo nunquam fuerunt beati: namque vera beatitudo alterius sine visione clara Dei constare nequit. Secundò, quia licet Angeli mali antequam peccarent, Deum vidissent, non fuissent beati: cum de ratione beatitudinis sit perpetuitas, vt loco citato ostendimus, & angeli mali peccauerint: sic etiam visionem claram Dei paulo post per peccatum amisissent, ac proinde beati antea non fuissent. Tertio arguit August. lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 11. vt probet, demones non fuisse vnquam beatos, hac ratione: quia vel in eo statu, quo creati sunt: præscij fuerunt sui casus. & ita timor, & anxietas sui casus eos beatos esse non sinebat, vel nesciebant se casuros esse: & sic etiam beati esse non poterant, quia error tollebat veram rationem beatitudinis suæ: putat enim August. contra veram rationem beatitudinis esse ignorantiam illam sui casus, siue illa esset puræ negationis, vt vocant, siue præuæ dispositionis, hoc est, cum errore coniuncta quod angelus existimaret se nunquam casurum: neque enim leuis esset miseria, quæ cum ratione veræ beatitudinis pugnaret, aut in vtramque partem incertis rationibus ob ignorantiam fluctuare, aut errore aliquo circa statum suæ beatitudinis decipi: quæ omnia ap. pugnent cum ratione veræ beatitudinis, ostendimus 1. 2. quæst. 5. art. illo 4.

Angelos malos, nec breui tempore vidisse Deum clare.

Deinde Angelos damnatos nunquam vidisse Deum clare, neque per breue tempus non minus facile probari potest; constat enim eos post peccatum in infernum lapsos amplius Deum non vidisse; vel ergo à visione cessarunt propter peccatum, aut sola Dei voluntate, qui postquam seipsam ipsis clare ostendit, postea sola sua voluntate occultauit, neutrum dici potest, non prius: quia

vt ostendimus 1. 2. quæst. 4. art. 4. videntes Deum nulla ratione peccare possunt, ac proinde quæ peccatum visionem amittere. Nec postea dici potest; quia sine vilo fundamento diceretur, Deum paruo, aut nullo tempore Angelos ipsum clare ostendisse, & deinde abique vilo demerito se illis occultasse.

Verum contra ea, quæ diximus, videtur esse August. multis in locis, in quibus docet, angelos, bonos, & malos in beatitudine simul fuisse creatos. Sic videtur docuisse, *Antiquitates* dogmatibus, apud August. cap. 28. vbi ita scribit: *Tales creati sunt Angeli, vt si vellet, in beatitudine sua persisterent, si autem vellet, etiam lapsi posset: unde & Satan cum sequentibus se legionibus caecis, & pollutis, vero lapsum docet bonos continentes fuisse, vt peccare non possent, & ipse Angelus de Genesi ad hieram 4. cap. 14. vsque ad 26. versus questionem hanc dubitat maxime, vtrum mali Angeli aliquando fuerint in cætu bonorum iusti, & pariter beati, an non, & tandem cap. 26. concludit Angelum ab initio peccasse, & ita nunquam beatum fuisse, sed ab ea beatitudine, quam nondum habuit, sed habuisset, excidisse, aut alios esse Angelos inferioris ordinis in hoc mundo creatos, inter quos demon vixerit in statu quodam beatitudinis absque præscientia sui casus, et quibus duobus hoc posterius inquit non esse affirmandum, vt enim docuit illo lib. cap. 2. duobus genera Angelorum asserenda non sunt, quorum inferius in hoc mundo fuerit creatum. Illud autem prius mirum est (inquit August.) si dici potest; illico autem subiungit: *Aut certe ratio requirenda, quemadmodum omnes sancti angeli, si non illos aliquando pariter beatus cum suis angelis diabolus vixit, nondum habuerint ipsi certam præscientiam perpetuæ felicitatis suæ, sed eam post casum eius acceperint, aut per meritum ante suum peccatum diabolus cum suis angelis vixit, Angelus discretus fuerit, vt ipse sui casus sciret, & ignarus, illi autem certi permanentis suæ: hæc August. qui scilicet in ea videtur fuisse sententia, vt, si non dicatur, Angelum malum ab initio peccasse, quod non videtur dicendum, fuerit ab initio locius beatitudinis cum angelis bonis, siue ipse fuerit ignarus sui casus, illi autem certi fuerint suæ perpetuæ felicitatis, siue omnes pariter ignari eius, quod in ipsis futurum erat, antequam demon peccaret, ex quo sequi videtur, omnes Angelos, etiam malos, prius Deum clare vidisse. Et lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 13. de malis angelis docet, habuisse aliquam beatitudinem, quamuis sine præscientia perpetuitatis, si aliquando, nempe in initio fuerint sine peccato, quod certissimum esse ostendimus disput. 23. 6. cap. 1. aut saltem omnes Angelos fuisse in beatitudine æque ignaros perseverantiae aut lapsus futuri, donec mali peccauerunt, & lib. de corrept. & gratia cap. 10. de malis Angelis sic loquitur: *Resurgentes tamen cum (scilicet Dei) bonitatem, qua beati fuerunt non præuenerunt eum eundem iudicium.***

Respondeo quamuis Augustinus in locis allatis, præterquam in libro de corrept. & gratia, dubius manserit, vtrum Angeli mali in primo instanti peccauerint, & nunquam fuerint beati, aut si vnquam beati fuerint, nunquam tamen fuerint præscij sui casus: angeli vero boni præscij fuerint suæ perseverantiae, aut potius omnes resurgentes tamen cum (scilicet Dei) bonitatem, qua beati fuerunt non præuenerunt eum eundem iudicium.

minat lib. de corrupt. & gratia cap. 10. & 11. tamen nusquam docuit August. Angelos apostatas aliquando clara visione beatos fuisse, aut ipsis nunquam Deum clare visum fuisse etiam per modum transeuntis. Porro autem, eos nunquam fuisse beatos, ex doctrina eiusdem August. lib. de Ciuit. Dei, cap. 11. manifestum est: ibi enim docet, ad rationem beatitudinis verè necessariam esse securitatem: nec eam esse posse cum ignorantia, aut errore futuri casus, vt supra ex ipso retuli; ergo quamuis Angeli clare Deum vidissent, cum tamen postea lapsi fuerint in peccatum, securi esse non potuissent, ac proinde non beati fuissent. Præterea Deum non fuisse clare visum ab Angelis apostatis, etiam per modum transeuntis, inde probatur, quia si ex aliquo loco deduceretur oppositum, maxime ex proximè allegatis: ex illis autem si aliquid colligi posset, non solum sequeretur, Deum ab angelis visum fuisse per modum transeuntis, sed etiam semper in visione Dei mansisse; quia beatitudo vera patriæ perpetua est: locis autem allegatis non dixit Augustinus, Deum fuisse visum ab Angelis, qui postea ceciderunt, sed eos fuisse beatos. Cæterum quamuis sub dubio videatur dicere, fuisse beatos, non intelligit de beatitudine patriæ, sed de aliqua beatitudine, qualis in via contingere potest. Quocirca lib. illo de Ciuitate Dei, cap. citato solum dixit, Angelos apostatas quandam habuisse beatitudinem, quæ sanè nihil aliud est, quam iustitia & sanctitas huius viæ, quæ beatitudinem patriæ veram nobis comparamus. Quo sensu idem Augustinus eodem libro de Ciuitate Dei, cap. 12. docuit primos homines in paradiso fuisse beatos: ob id tamen non existimauit, Deum ab eis visum fuisse: Et hodie (inquit) non imprudenter beatos vocamus, quos videmus, insidè ac pie cum spe futura immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine. Et lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 18. affirmat, Adamum in paradiso fuisse beatum: per vitam autem beatam, vt ipse explicat, intelligit vitam spirituales, quam secundum veriorum sententiam ipsius Augustini Angeli apostatæ initio suæ productionis habuerunt, cum in gratia Dei creati fuerint, vt disput. seq. ostendimus. Quamobrem & in lib. de corrupt. & gratia cap. illo 10. inquit: Diabolus vero, & Angeli eius esset beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros nesciebant: erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate steterint, donec ipsam summam beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent, hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine, sine illo vicio fruebantur. Hæc Augustinus, quibus aperte docet, demones ante lapsum iustos fuisse, & ita aliqua beatitudine, licet non perfecta, fuisse beatos, ideoque beatitudini ipsorum aliquid addendum superfuisse: & quamuis expressè non dicat ipsorum beatitudini visionem Dei claram addendam superfuisse, id tamen non obscure indicauit illis verbis, vt magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis, cadere non possent. Nam cadere non posse ab statu charitatis, solum conceditur videntibus Deum sicut est: sub si. lei enim velamine nulla charitas ita firma est, vt ab ea quis deficere nequeat.

Vasquez in 1. part. tom. II.

Est igitur constans doctrina Scholasticorum, Angelos malos nunquam Deum, neque ad modicum tempus vidisse. Quod vero recentiores nonnulli pro opposita sententia referunt Alexandrum, Hugonem & Gabrielem, ego quidem inuenire non potui. Gregor. tamen in 2. dist. 4. q. 1. art. 3. solum docet, bonos & malos angelos creatos non fuisse in beatitudine perfecta: non quia existimaret malos in puncto suæ creationis clare Deum intuitos fuisse, sed quia in gratia fuerint omnes creati, atque adeo in beatitudine quadam imperfecta. Nam que si putaret, bonos habuisse visionem claram Dei; cum illam nunquam amiserint, dicere deberet, in beatitudine perfectè fuisse creatos.

CAPVT IV.

Boni Angeli non fuisse concessam beatitudinem patriæ à principio sui esse.

Non minus certum nobis esse debet, angelis bonis, qui in gratia Dei perseuerarunt, non fuisse concessam ab initio beatitudinem patriæ, aut claram Dei visionem, tamen Ludovicus Vives Ludovicus lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 9. Propter verba August. male intellecta, quæ infra explicabimus, dixerit, bonos Angelos ab initio vidisse Deum, & in visione Dei semper perseuerasse. Vt autem communem, & cæteris indubitatam sententiam confirmemus, recolendum est id, quod cap. præced. notauimus, nempe non esse idem beatitudinem patriæ & visionem: siquidem visio sine perpetuitate non habet veram beatitudinis rationem. Hoc posito, Angelos non fuisse ab initio beatos, sufficienter probabitur, si ostenderimus prius, non fuisse ab initio essentiam diuinam ipsis clare reuelatam, sed eos tantum in gratia Dei, quæ est quædam beatitudo, fuisse creatos; hoc autem sic ostenditur.

Si Angeli boni cum visione clara Dei fuerint producti, aut visio illa ipsis fuit concessa per breue tempus & postea ad tantum fidei reducti: aut perpetuo in ea perseuerarunt. Prius dici non debet, quia est omnino sine fundamento, ac proinde hac sola de causa rectè rejicitur. Posterius etiam verum esse non potest: Primum quia sequeretur ex eo, Angelos bonos nunquam fuisse in statu, quo posset peccare: nam visio clara Dei tantæ efficacitatis est, vt nō sinat eum, qui videt Deum, ab eius charitate vnquam cessare, aut villo modo peccare, sicut ostendimus 1. 2. q. 4. art. 4. hoc autem est contra August. lib. de corrupt. & gratia, cap. 11. post mediam, vbi de malis Angelis inquit, eorum fuisse culpam, quoad non permanserint, quorum fuisset meritum, si permanere voluissent: Subdit deinde: Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium per idem liberum steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem receperunt; quid obsecro aliud est, cadere per liberum arbitrium, nisi ita libere cadere, vt stare possent: ergo idem erit, per liberum arbitrium stare, quod ita libere stare, vt cadere possent. Falsum igitur est, angelos bonos nunquam fuisse in agone & pugna cum libertate relictos. Deinde sequeretur, angelos bonos nunquam fuisse in statu merendi: quia status ille visionis claræ Dei pugnat cum merito ipsius visionis & beatitudinis patriæ: quod animalis possit mereri ille, qui

Ggg 2

videt

videt Deum, sicut promeritis nobis fuit Christus, non repugnat, ut ostendam 3. p. q. 19. art. 3. & 4. esse autem non posse simul Angelum viatorem, & comprehensorem, ostendimus infra disp. 228. cap. 3. & seq. ubi & probabitur, neminem posse sibi mereri beatitudinem per opera subsequencia beatitudinem; alioquin homo perpetuo beatitudinis augmentum mereretur; quæ omnia absurda sunt.

*Augustinus
asserit bo-
nos Ang-los
creatos in
beatitudine
sumpta pro
sanctitate.*

Restat, ut explicemus mentem Augustini aliquibus in locis, ubi docet bonos Angelos in beatitudine fuisse creatos; intelligi autem debet de beatitudine imperfecta viæ, quæ est iustitia & sanctitas. Et quamvis libro illo de Civitate Dei non definiat questionem illam, utrum boni fuerint securi ab initio de sua perseverantia & rectitudine, mali vero incerti, an potius omnes quoad notitiam futuri eventus fuerint æquales, ut vidimus cap. præced. tamen libro de correptione & gratia, plane docet Angelos bonos non fuisse se, uos de sua perseverantia, sed hoc meruisse perseverantes in statu, à quo alij ceciderunt. Ita docet cap. 11. cuius verba paulo ante citavimus: idem docuerat cap. 10. eiusdem libri. Dicuntur autem Angeli in beatitudine creati, non patriæ & perfectæ, sed viæ, quæ iustis conceditur; visionem autem claram Dei nusquam docet August. illis fuisse concessam.

17.

*Locus diffi-
cili-
est. August.
exponitur.*

Difficilior est locus eiusdem August. lib. 11. de Civitate Dei, cap. 9. in principio, ubi de ea parte Angelorum, qui boni manserunt, docet; *Et magna pars est, & eo beator quo nunquam peregrinata, quibus verbis videtur denotare Augustinus nunquam Angelos bonos ambulasse per fidem, quæ est propria peregrinantium à Domino, iuxta illud 2. ad Corinth. 5. Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Respondeo tamen, ideo Augustinum dixisse, angelos bonos nunquam fuisse peregrinos, aut quia parvo tempore ambulaverunt per fidem, parvum autem pro nihilo reputatur; aut quia ipsi semper fuerunt in loco patriæ cælestis, nempe in cælo, à quo nos elongari sumus; aut denique, quod mihi magis placet, quia nunquam peccatum ab statu gratiæ discesserunt; ita ut peregrinari, non sit idem apud Paulum, & apud Augustinum: sed cum peregrinari sit idem, quod alienum esse, Paulus refert ad beatitudinem patriæ, Augustinus vero ad statum gratiæ, in qua Angeli creati sunt, in quo & nos per peccatum aliquando peregrinamur, sicut etiam Petrus prima Epistola cap. 4. eodem verbo peregrinandi usus ad diversa retulit, cum dixit: *Nolite peregrinari in seruire, qui ad tentationem vobis sit, hoc est, nolite percelli tantquam re nova peregrina in seruire & igne tentationis, quod probamini existimantes, tentationem extraneam, & peregrinam à vobis esse.* Cum vero idem August. eodem cap. 9. inquit, Angelos fuisse ab initio participes locis æternæ, non ideo dixit, quia luce evidenti, & clara viderint Deum; sed quia ipsi in apte natura sunt lux, cum sint naturæ intelligentis. Qua ratione locis omnibus citatis disputat. 5. 1. idem Augustinus explicat illud Genes. 1. *Dixit Deus fiat lux, & facta est lux.* Denique illud quod assert ex August. S. Thom. in hoc articulo in argumento, *Sed contra*, quo videtur docere Augustinus, priorem fuisse in angelis cognitionem matutinam, quæ est visio di-

ARTIC. II.

vinæ essentia, quam vespertinam, quæ est cognitio creaturarum, explicatum à nobis est in eo disput. 5. 1. cap. 2.

Habuisse igitur bonos Angelos claram Dei visionem post prælium cum malis, & postquam ex fide in gratia perseverarunt, docent cum *Sancto Thoma in hoc artic. Alexand. 2. p. quest. 51. mem. 2. & 2.* Et Scholastici omnes in 2. dist. 4. & 6. quos singulatim referre opus non est. Verissime autem est, omnes æqualiter relictos esse in via, quæ certitudine calidus, aut perseverantia, sub spe, & timore suæ salutis, ut cooperarentur divinæ gratiæ, si vellent.

ARTICULVS II.

Utrum Angelus indiguit gratia ad hoc, quod converteretur in Deum.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Angelus non indiguit gratia ad hoc, quod converteretur in Deum. Ad ea enim, quæ naturaliter possumus, gratia non indigemus. Sed naturaliter angelus converteretur in Deum, quia naturaliter Deum diligit, ut ex supradictis patet. Ergo angelus non indiguit gratia ad hoc, ut converteretur in Deum.

2. Præterea. Ad ea tantum videmur indigere auxilio, quæ sunt difficilia; sed converteri ad Deum non erat difficile angelo, cum nihil esset in eo, quod huic conversioni repugnaret. Ergo angelus non indiguit auxilii gratiæ ad hoc, quod converteretur in Deum.

3. Præterea. Converteri ad Deum est ad gratiam preparare. Unde Zachariæ dicitur: Converterimini ad me, & ego converterar ad vos. Sed nos indigemus gratia ad hoc quod nos ad gratiam preparemus, quia sic esset abire in infinitum. Ergo non indiguit gratia angelus ad hoc, quod converteretur in Deum.

Sed contra, per conversionem ad Deum angelus pervenit ad beatitudinem. Si igitur non indiguiset gratia ad hoc quod converteretur in Deum, sequeretur quod non indigeret gratia ad habendam vitam æternam. Quod est contra illud Apostoli Rom. 6. Gratia Dei vita æterna.

Respondeo dicendum, quod angeli indiguerunt gratia ad hoc quod converterentur in Deum, prout est obiectum beatitudinis. Sicut enim superius dictum est, naturalis motus voluntatis est principium omnium eorum quæ volunt. Naturalis autem inclinatio voluntatis est ad id, quod est conveniens secundum naturam. Et ideo, si aliquid sit supra naturam, voluntas in id ferri non potest, nisi ab aliquo alio supernaturali principio adiuta. Sicut patet, quod ignis habet naturalem inclinationem ad calcificationem.

dum & ad generandum ignem. Sed generare carnem est supra naturalem virtutem ignis. Vnde ignis ad hoc nullam inclinationem habet, nisi secundum quod mouetur ut instrumentum ab anima nutritiua. Ostensum est autem supra, cum de Dei cognitione ageretur, quod videre Deum per essentiam, in quo vltima beatitudo rationalis creaturæ consistit, est supra naturam cuiuslibet intellectus creati. Vnde nulla creatura rationalis potest habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem, nisi mota à supernaturali agente. Et hoc dicimus auxilium gratiæ. Et ideo dicendum est, quod angelus in illam beatitudinem voluntate conuerti non potuit, nisi per auxilium gratiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod angelus naturaliter diligit Deum in quantum est principium naturalis esse. Hic autem loquimur de conuersione ad Deum, in quantum est beatificans per suæ essentia visionem.

Ad secundum dicendum, quod difficile est, quod transcendit potentiam. Sed hoc contingit esse dupliciter. Vno modo, quia transcendit potentiam secundum suum naturalem ordinem, & tunc si ad hoc possit peruenire aliquo auxilio dicitur difficile. Si autem nullo modo, dicitur impossibile, sicut impossibile est hominem volare. Alio modo transcendit aliquid potentiam, non secundum ordinem naturalem potentia, sed propter aliquod impedimentum potentia adiunctum. Sicut ascendere non est contra naturalem ordinem potentia animæ motiua. Quia anima quantum est de se nata, est mouere in quamlibet partem. Sed impeditur ab hoc propter corporis grauitatem. Vnde difficile est homini ascendere. Conuerti autem ad beatitudinem vltimam, homini quidem est difficile: & quia est supra naturam, & quia habet impedimentum ex corruptione corporis & infectione peccati. Sed angelo est difficile propter hoc solum, quod est supernaturale.

Ad tertium dicendum, quod quilibet motus voluntatis in Deum, potest dici conuersio in ipsum. Et ideo triplex est conuersio in Deum. Vna quidem per dilectionem perfectam, quæ est creaturæ iam Deo fruētis. Et ad hanc conuersionem requiritur gratia consummata. Alia conuersio est, quæ est merendi beatitudinis. Et ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium. Tertia conuersio est, per quam aliquis preparat se ad gratiam habendam. Et ad

Vazquez in 1. partem Tom. II.

hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam conuertentis: secundum illud Thren. vltim. Conuertere nos Domine ad te, & conuertemur. Vnde patet quod non est procedere in infinitum.

Conclusio est affirmans. In hoc articulo disputandum erat de necessitate gratiæ in angelis: quia tamen eandem puto esse rationem ipsorum, atque hominis in integra natura, de hac questione differemus 1. 2. q. 109. art. 2. & alij. De necessitate quidem gratiæ ad opera moralia disputabimus 1. 2. q. 109. art. 2. De necessitate vero gratiæ ad diligendum Deum art. 3. de eadem ad perseverandum art. 10. & sic de alijs; quod vero quidam dixerunt, Angelos non indigere gratiæ auxilio ad consentiendum vocationi, sed hoc eis conuenire ex solo libero arbitrio, ostendi falsum esse supra disputat. 98. cap. 2. eamque sententiam manifeste pugnare cum verbis August. ex quo ipsi eam deducere conabantur, probant. Qua vero ratione in angelis requiratur gratia habitualis ad merendum vitam æternam, dicemus 1. 2. q. 114. Eadem enim omnino ratio est. Difficultas etiam, quæ poterat esse in hoc art. circa solutionem tertij, tractabitur eadem 1. 2. q. 113. art. 8.

ARTICVLVS III.

Utrum Angeli sint creati in gratia.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod angeli non sint creati in gratia. Dicit enim August. 2. super Genes. ad literam, quod angelica natura primo erat informiter creata, & cælum dicta. Postmodum vero formata est, & lux appellata. Sed hæc formatio est per gratiam. Ergo non sunt creati in gratia.

2. Præterea. Gratia inclinat creaturam rationalem in Deum. Si igitur angelus in gratia creatus fuisset, nullus angelus fuisset à Deo auersus.

3. Præterea. Gratia medium est inter naturam & gloriam. Sed angelus non fuerunt beati in sua creatione. Ergo videtur, quod nec etiam creati sint in gratia, sed primo in natura tantum: postea autem adepti sunt gratiam, & vltimo facti sunt beati.

Sed contra est quod August. dicit 12. de Ciuit. Dei. Bonam voluntatem quis fecit in angelis, nisi ille qui eos cum sua voluntate, id est, cum amore casto quo illi adherens, creauit simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.

Respondeo dicendum, quod quamuis super hoc sint diuersæ opiniones quibusdam dicentibus, quod creati sunt Angeli in naturalibus tantum: alijs vero quod sunt creati in gratia: hoc tamen probabilius videtur tenendum, & magis dictis Sanctorum consonum est, quod fuerunt creati in gratia gratum faciente. Sic enim videmus quod omnia,

Ggg 3

qua

19.

319.

1. 2. q. 5. ar.

1. cor. 12.

1. 4. ar. 7.

1. 5. q. 2.

ar. 2. cor.

1. 2. q. 9.

quod 4. ar.

3. cor.

Lib. 12. de

Ciuit. Dei.

1. 9. de med.

1. 3.

